PASSIONALE SANCTORUM

Zwettl, Ende 12. Jh. Seite 32r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

beatus Sixtus dixit: Miser tu tibi consule et noli blasphemare, sed age penitentiam de sanguine sanctorum quem effudisti. Decius furore plenus dixit ad Valerianum: Si iste extinctus non fuerit, non erit clarus timor. Valerianus dixit: Capite puniatur. Responderunt Agapitus et Felicissimus et dixerunt: O miseri, si audiatis monita patris nostri, evadetis tormenta eterna que vos torquere habent. Valerianus prefectus dixit: Quid diu vivunt illi qui nobis tormenta promittunt? Sed ducantur ad templum Iovis iterum ut sacrificent; quod si noluerint supplicare et sacrificare, in eodem loco capite truncentur. Et ducti sunt foras muros porte Appie. Et cepit beatus Sixtus dicere: Ecce idola vana et muta et surda et lapidea, quibus miseri inclinantur ut perdant vitam eternam. Et dixit ad templum Martis: Destruat te Christus filius dei vivi. Et cum hoc dixisset beatus Sixtus, responderunt omnes christiani amen. Et subito cecidit aliqua pars templi et comminuta est. Tunc beatus Laurentius cepit clamare: Noli me derelinquere pater, quia thesauros tuos iam expendi quos tradidisti mihi. Tunc milites tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum audientes thesauros. Sanctum vero Sixtum episcopum et Felicissimum et Agapitum diacones duxerunt in clivum Martis ante templum, et ibi decollatus est cum duobus diaconibus. Et dimiserunt corpora in platea viii. idus augusti. Nocte etiam venerunt clerici et presbiteri et diaconi et maxima plebs christianorum et collegerunt corpora sanctorum et sepelierunt beatum Sixtum episcopum et martyrem in cripta in cimiterio Calisti in eadem via; sanctos vero Felicissimum et Agapitum martyres et diacones sepelierunt in cimiterio Pretextati sub die kalendas septembris, prestante domino nostro Iesu Christo cui est honor et gloria in secula amen.

Passio Sanctorum Donati et Illariani. xviii.

vii. idus mai. augusti.

Tempore quo Constantinus qui Constantinopolim suo nomine condidit romanum tenebat imperium, erat in civitate romana presbiter quidam Pigmenius nomine in titulo Pastoris, vir vite venerabilis et doctrina liberalium artium cunctis colendus, ad quem romanorum [illegible] convenire consueverant. Et dum liberalium artium ab eo rudimenta perciperent, salutari fonte celesti dictante magistro plurimi salubriter abluti a domino Christi et eius studio confluebant. Hic Iulianum filium Constantii fratris Constantini inter ceteros enutrierat, et baptizatum divina humanaque doctrina studiosissime enutrierat. Cuius industriam ammirantes populi famam spargere ceperunt ut etiam romanam rem publicam gubernare valeret. Unde et in Nicomedia ab imperatore missus ab urbe regia abstinuit. Erat enim in civitate eadem puer Donatus nomine, nobili ortus prosapia. Qui dum salutaria pascua quereret, a parentibus derelictus est; sed ab eodem Pigmenio benigne susceptus cum Iuliano omnium artium doctrina perfecte est eruditus, et in fide sancte trinitatis ab eodem Pigmenio baptizatus, doctrina evangelica atque apostolica sancti spiritus gratia plenius est roboratus, et dei effectus (famulus) cum eodem Iuliano ad sacrum ordinem est promotus. Nam beatus Donatus lector et Iulianus subdiaconus sunt constituti. Sed beatus Donatus ne infructuosus